

A Dum conuerteret Dominus captiuitatem populi sui.] 1. Primò obseruandum quòd populo Dei tribuit captiuitatem. Quæ illius sit ratio facilè intelligit vir cordatus. In libertate constituti in crassamur, dilatamur, superbimus ingrati, delicijs & voluptatibus carnis corrumpimur, ac Deo nostro rebellamus, & ab illo ad regnum satanæ & seruitutem impiam deficiamus. Consulto ergo in captiuitatem tradimur. Exempla sunt in Israële.

2. Secundò, ex captiuitate non nisi Deus liberare potest. Non dicit, Dum conuertetur captiuitas populi Dei: sed, Dum conuertet Dominus captiuitatem populi sui. Eiusdem est liberare, cuius est tradere in captiuitatem. Non poterimus nos ipsi liberare.

3. Tertiò, obseruandum est quòd non dicit, Si conuerteret Dominus captiuitatem populi sui: sed, Dum conuertet Dominus captiuitatem populi sui. Certò futurum sperat, imò nouit, conuersurum Dominum captiuitatem populi sui. Nemo erga de plena & iusta populi Dei liberatione desperet, quantumuis deplorata illius videatur esse captiuitas.

4. Quartò, & hoc notemus, quòd populi Dei liberationem aliquando quidem futuram prædicat: quando autem futura sit, non meminit, contentus ea spe, quòd credit eam certò & indubitato futuram.

Exultabit Iacob, letabitur Israël.] Notandum hîc est, quomodo Propheta populum Dei miserè adfectum, vaticinio futuræ lætitiæ, quam plena liberatio allatura sit consoletur. Tristitia est in captiuitate, & adfectio conscientiarum: in liberatione verò, gaudium & lætitia. Discamus ergo hoc futuro gaudio proposito, quasuis aduersitates non modò patienter, sed & cum gaudio perferre. Sic Christus proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Ebræ. 12. Hoc scilicet optimum est omnium tribulationum condimentum, ex animo sperare, ac dicere cum Propheta: Dum uertet Dominus captiuitatem nostram, exultabimus & letabimur.

PSALMVS XV.

ARGVMENTVM PSALMI.

B Canit hoc Psalmo Propheta, oportere vera ac solida iustitiæ deditum esse eum, qui velit habere commercium cum Deo, & in illius Ecclesia & regno immota sede potiri.

PSALMVS DAVIDIS.

DOMINE, quis commorabitur in tabernaculo tuo: quis habitabit in monte sancto tuo? VERS. I.

2. Qui ambulat integer, & facit iustitiam, & loquitur veritatem in corde suo.

4. Qui non detrahit lingua sua, non facit proximo suo malum: & opprobrium non sustinet aduersus vicinum suum.

4. In cuius oculis despicitur abominabilis, & qui timentes Dominum glorificat: iurat proximo, & non mutat.

5. Qui pecuniam suam non dat ad usuram, & munus aduersus innocentem non accipit: qui facit hæc, non mouebitur in seculum.

Qui non detrahit lingua sua.] Ebr. est. *לֹא יִשְׁרָף לִשְׁנוֹ*. Græc. *ὁς ἐν ἰδιόματι οὐ φησὶ κακόν*. Vulg. Lat. Qui non egit dolum in lingua sua. Hieron. Qui non est facilis in lingua sua. Chald. *נō facile detrahit lingua sua*. Felix: LECTIO. Vers. 3.

Iurat proximo.] Ebr. *וְשָׁבַע לְרֵעֵהוּ*. Hieron. legit: *Iurat ut se adfligat*. Sic & Chaldæus, & aliquot recentiores. Reliqua nihil habent descrepantiæ. Vers. 4.

Domine, quis commorabitur, &c.] Apparet Prophetam & regem Dauidem cum arcæ testamēti Dei tabernaculum in monte Siō parasset, illamque in eum locum, sicut 2. Sam. 6. & 1. Paralip, 16. legimus, trāstulisset, populum Dei hoc Psalmo ad timorem Dei, ac verum solidæ iustitiæ studium adhortari, admonereque: voluisse, ut si gratiam hanc Dei, qua certo loco, nempe in monte Siō, sedem inter eos figere, coli & adorari dignabatur, amittere nollent religiosè, piè & iustè in eo conuersarentur. EXPLA- NATIO. Vers. 1.

Canit itaque ad hunc modum: Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo, &c. Vtitur in primo hoc versu apostropha interrogatoria ad Deum, non dicens simpliciter, Quis commorabitur in tabernaculo Dei? quis habitabit in monte sancto eius? sed, Domine, quis commorabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte sancto tuo? Ut veluti Deum ipsum tanquam ad interrogationē hanc respondentem inducat, idque efficiat, ut quæ subijciuntur, religiosius audiantur, & memori mente retineantur tanquā quæ non humano spiritu, sed diuino prolata sint oraculo. Rem autem eandē bis dicit. Etenim idem per tabernaculum Dei, quod per montem sanctum eius, intelligit. facit hoc ad excitandum animos piorum, ut admoneantur, habitare se non simpliciter Hierosolymis, sed in tabernaculo ac monte sancto Dei.

Primum illud, expendendum est, quòd ciuitatem Siō elegit tabernaculi ac montis Dei sancti cohonestat. Erat ea ciuitas magna & robusta, deinde opera & studio suo illam acquiserat, & Iebusæis primus abstulerat. Verum nihil huius iactat, nec amplitudinem ac robur ciuitatis huius populo Dei commendat: sed de tabernaculo ac monte sancto Dei canit, ut gratiam Dei prædicet, admoneatque præferendam eam esse vrbis huius robori & amplitudini. OBSERV. Vers. 1.

Deinde, quòd tabernaculum & montem Deo tribuit in terris, & ipsum est considerandum. Nā habitabit